

009
18np

Tom: 74

1. 0.
2. 0.
3. 0.
4. 0.
5. 0.
6. 0.
7. 0.
8. 0.
9. 0.
10. 0.
11. 0.
12. 0.
13. 0.
14. 0.
15. 0.
16. 0.
17. 0.

10.
Q. F. F. S.
DISSSERTATIONEM
POLITICO-MORALEM,
**DE BONIS ET FA-
CVLTATIBVS PRVDEN-
TER ADMINISTRANDIS,**

PRAESIDE
VIRO MAXIME REVERENDO
IO. GEORGIO PRITIO,
SS. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE
PVBLICO,
PRAECEPTORE SVO SVSPICIENDO,

DIE XV. MENSIS APRILIS
ANNO REPARATAE SALVTIS C^h I C C I.
IN ILLVSTRI ANHALTINO, QVOD EST IN
VRBE SERVESTA,

PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
H. L. Q. C.
AVCTOR

CHRISTIANVS LEBRECHTVS A PRÖCK.
EQVES MAGDEBURGICVS.

SERVESTAE, TYPIS BEZELIANIS.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
CAROLO GVI-
LIELMO,
PRINCIPI ANHALTINA-
TVS, DVCI SAXONIAE, AN-
GRIAЕ ET WESTPHALIAE, CO-
MITI ASCANIAE, DOMINO
SERVESTAE, BERNBVRGI,
IEVERAE ET KNIPHV.
SII. ETC.
DOMINO MEO CLEMENTISSI-
MO, SALVTEM ET PROSPE-
RITATEM OMNIGENAM!

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

Cum a Serenitate Tua tot nominibus obstrictissimus teneam, ut nihil mihi reliquā sciam, quod non Celsitudini Tuae totum dicandū sit, & quod iam pridē non sacrum esse iusserim; cui demum, praeter Celsitudinem Tuam, Serenissime Princeps, dissertationem hanc leuidensem nuncupare velim, aut cui meliori iure potuisse? Praesertim cum ea, de qua differeo virtute, adeo conuenienter in Tuam Serenitatem quadret, ut vnuquisque, non dicam fidelissimorum, quos habes, subditorum, quamvis illi vel maxime; sed profecto & longissime disiunctorum populorum haudquaquam illud negatum iuerit. Nec enim ullum credo fore, cui non fama innotuerit propitia, Tuam Serenitatem ea bona, quae DEVS munificentissimus plena manu Eadem est clargitus, in summum illius honorem, in aliorum optatissimum, quibus iniquior sors denegare sustinuit viuendi commoditates, auxilium; & denique ad regionum, quas diuina prouidentia tanti Principis sapientiae concredidit regendas, felicissimum incrementum, limitumque iplius ampliationem commodissimam, prudentissime, & id summa vbiique cum laude, adhibere. Sed libentissime confiteor, epistolam eiusmodi exiguam minime omnium aptam esse, ad coele-

4 DEDICATIO.

stes Serenitatis Tuae virtutes, quibus orbi praeluceret, admirandas satis, ut par erat, stylo depingendas; cum paucissimae istae pagellae multo sint arctiores, quam ut tam diffusum argumentum exhauire queant; Et id tam graue mihi videtur esse negotium, ut doctissimorum hominum calamum defatigaturum sit, nisi prudenti compendio sedem Te esse significant eorum omnium, quae numeris suis absolutum Principem possunr efficerre; & putauerim sane, seram posteritatem in Serenitatis Tuae laudes se effusuram, nullis aliis usuram fore verbis, quam ut eam conuentum dicant innumerabilium virtutum; ad ea complectenda unico verbo, quae peculiariter & per partes recensere nimis & esset prolixum & arduum. Interim quamvis haud nesciam, specimen istud qualiscunque industriae meae & studiorum meorum non tale esse, ut dignum sit, augustum Tuum subire vultum, conspectuique tam illustri se committere, multo minus, ut Serenissimo Tuо dediceretur Nomiни; tamen & id me non fugit, Serenitatem Tuam non tam rem ipsam, quam auctoris, unde proficiuntur, animum adspicere, & hac in re magnanimitati nullius inter Principes maximos, qui virtute tam egregia non parum ornantur, villo pacto cedere; quam quidem viam a primis vitae annis, dignissimo tanto culmine exemplo, eam ingressam esse nouimus omnes. Id vero mihi saltem erat propositum, ut adpenderem hic tabu-

DEDICATIO.

tabulam quandam confessoriam, quia pro summis be-
neficiis, quibus per integrum octennium, praeter vllum
meritum, a Serenitate Tua sum affectus, cum seruitio
Ipsi addictus fui, animum gratissimum ostenderem.
Permitte ergo, Indulgentissime Princeps, ut ipse mihi
persuadeam, Serenitatem Tuam non recusaturam esse,
hunc meum laborem clementissime recipere. Hac ego
spe subiectissima fatus, & animo in piis deuotissimis
que preces effuso, ut DEus optimus maximus Serenita-
tis Tuae tam probe constitutum regimen vterius innu-
merabiles per annos incolume seruare, maxima tem-
poralium bonorum affluentia accumulare, & tandem
Serenitatem Tuam in laetissima aeternitate auspicatis-
simis bonis beare; de cetero Serenissimam Coniugem
cum Filio, Patre tanto dignissimo, Principe in salutem
patriae nato, in florenti quam maxime fortuna conser-
vare, gratiore dignetur; dissertationem istam ad Serenita-
tis Tuae pedes humillime submitto; nec tamen illam
solum, sed & me ipsum clementissimis Tuis iusibus to-
cum submississimo studio consecro, cui nihil magis est
in votis, quam ut Serenitati Tuae ad cineres vsque me-
sistam & adprobem,

Serenitatis Tuae

Seruestae III. Iduum
April. cl. 15 ccl.

Subiectissimum Seruum
CHRISTIAN. LEBRECHT. A PRÖCK.

A. 3.

PRAE-

P R A E F A T I O.

OMNES quidem ac singuli animi affectus, Lector benevoli, se fer-
 vidi nimis sunt & impetuosi, in malis sunt ponendi merito, hoc
 est, homines a vera, qua alias frui possent, abduunt felicitate: sobrie
 enim cum iis uitimur & modice, suauissimo animos nostros permulcent
 sensu; cum contra si vehementiores existunt, & sanam hominis rati-
 onem de statu deturbant suo, detestabilem homini moliantur pestem.
 Quemadmodum nempe, ut aliquo utar simili, medica quaedam potio,
 aut pharmacum, parcus. Ut par est, adsumendum, humanae sanitati
 mirum in modum conducibile est & salubre: supra debitam vero &
 praescriptam mensuram si sumitur, noxium euadit & perniciosum
 maxime: ita & istae animi commotiones, si ab omni prauitate & in-
 ordinatione quantum fieri potest, eas abesse contingat, hominibus salu-
 tares sunt; illis autem, qui non circumspecte & prudenter illas tem-
 perant, insandum adserunt detrimentum. Id imprimis circa illam
 eernimus fieri cupiditatem, qua homines in bona feruntur externa,
 quibus opum & facultatum inditum est nomen. Evidem cupidita-
 tes reliquae si constrictum tenent praeter aequum homines, causa sunt
 & ipsae magnorum malorum, sed qui tamen iisdem abripiuntur, vi-
 dentur pectare ex: uatiis, quam qui opum nimio tenentur amore. Il-
 licerte, qui honorum amplissimorum altissimos adpetunt gradus, ali-
 qua saltu ratione altissimul prodesse possunt, saepe & prodesse stu-
 dent; nec minus illi, qui nimis voluptates consecabantur, nonnihil qui-
 dem habere videntur, quo delicatum ac molliculum corpus demulce-
 ant; unde ad ipsum hominem redundant quaedam felicitatis species:
 ab solius avaritiae immanitas infrunitum & horribilissimum vide-
 tur esse vitium, cum nemini pro sit, & ouarum ipsarum exquisitiissimis
 excruciet doloribus. Opus ergo est vel maxime, ut vir quilibet sa-
 piens prudenter in hac sece gerat parte, ne huius vitii inficiatur labe.
 Ille vero latissime patet locus, ut non parum temporis, ad illum exhan-
 rien-

MVR PRAEFATIO.

7

riendum requireretur spatium. Nobis cum de disputationis cogitare non arguento, illam saltē persequi placuit partem, quae de recto prudentique agit facultatum usū, unde & Dissertationis huius
DE PRV'DENTER ADMINISTRANDIS BONIS ET
FACVLTATIBVS esse voluimus inscriptionem; cuius & nunc ubi
adgredimur tractationem, dñinam ad id mihi gratiam exopto se-
riū precib⁹. Ut vero quae nobis proposuimus, uno veluti intu-
itu adspiciantur, rem omnem brexiter, antequam ad opus ipsum nos
accingamus, veluti in tabella exhibemus.

TABVLA DICENDORVM.

§. I.

Homo creatus est, ut esset felix.

§. II. Illa felicitas debebat ex parte consistere in
usu creaturarum.

§. III. Conditio hominis in statu primaeuo, in respectu
ad alias creatureas qualis fuerit?

§. IV. In communione rerum summa est felicitas.

§. V. Rempatere ex consideratione miseriārum, ubi est
dominium priuatum.

§. VI. Quales miseriae exulant, ubi est communio.

§. VII. An illa communio sit reducenda?

§. VIII. Ex proprietate rerum unum & aliud existere
bominum discrīmen.

§. IX. Homines alios aliorum indigere ope.

§. X. Variis rebus homines opus habere, ut viuant, ut
commodē viuant, ut sapienter viuant.

§. XI. Illa, quibus homines ad hos usus opus habent, con-
ſtare nunc pretio.

§. XII.



TABVLA DICENDORVM.

§.XII. Quae pretio constat, ea a possessore in laudabiles usus prudenter esse conuertenda.

§.XIII. Prudentiam banc respicere tum ipsum posses-

sorem, tum alios.

§.XIV. Vbiue ad finem attendendum esse, qui est
et sua et aliorum felicitas.

§.XV. Quomodo homo suis opibus in propriis usus
prudenter uti debeat? ubi primum de cura animi.

§.XVI. De cura corporis.

§.XVII. De honestis voluptatibus.

§.XIX. De arte ad honores et fortunas grassandi.

§.XIX. Quomodo homo suis opibus uti debeat in usus
aliorum?

§.XX. De liberalitate in egenos et pauperes.

§.XXI. Quinam sint pauperes, in quos eleemosynae
possint conferri?

§.XXII. De sumtibus in varii generis homines ero-
gandis, ut possint vivere.

§.XXIII. Non peccare diuitem, qui multos sumtus
facit.

§.XXIV. Quaenam in hoc usu sit adhibenda cautio?

§.XXV. Quo constet indicio, hominem in usu bono-
rum suorum recte agere.

§.XXVI. Virum bonum et prudentem abundare
posse et egere, multum erogare et pauca.

S. I.

S. I.

Homo creatus est, ut esset felix.

Deus ter optimus maximus inter omnes creaturas, quarum sapientissimus est opifex, imprimis hominem dignatus est ad suam creare imaginem; quod cum ex diuinis voluntinibus apertissime constet, tum ex senioris rationis dictatis, licet inferiori luminis gradu & saltem ex parte, non minus colligi potest; quem autem nemo sit hominum, qui non fateatur libenter, Deum esse summe felicem & beatum; pariter statuendum erit, hominis ex diuina intentione esse insignem debuisse beatitudinem. Quanquam enim nullius rei, quae creata est, felicitas felicitatem, quae in Deo est, possit adaequare; cum ipse summus perfectiones se solo possideat, in quibus suauissime delicietur; ipseque se ipso laetetur, se ipso fruatur, se ipso acquisescat, quibus rebus non dubium est, quin summa, quae cogitationibus fingi potest, beatitas describatur; & haec quidem omnia, quantumuis abesse contingat res omnes, quae sunt a Deo diuersae; cum contra homo, sibi soli si relinquatur, quantauis praeterea vel scientia vel rebus aliis floreat, inter felices numerandus non sit: certum tamen est, placuisse Deo, ita fingere hominum genus, ut ex eo elegans quaedam felicitatis adumbratio elucescat; quorum enim alias felicitatis desiderium, & quae huc spectant facultates, hominibus tribuisset?

S. II. *Illa felicitas debebat ex parte confidere in vsu creaturarum.*

Quanquam vero homo in ista constitutus felicitate nulla relalia, qua frueretur, indiguisset; sed sat in suauissima cum Deo deliciari potuisset coniunctione; tamen propitius ille mundi creator tam benignus se exhibuit, ut multas adhuc alias praeter hominem condiderit creaturas, super quas illum constituit dominum; ut & illis imperaret & ipsas ad usus adhiberet suos,

vita

B

vita eius commodiori & molliori hac ratione reddenda ; id quod adparet affatim tum ex sensibus, quorum ope cum creaturis quotidiana congredimur consuetudine , & per quos frui illis nobis datur; tum ex facultate illa, quae motrix vocatur, quae aptos nos reddit, vt aduersus alias creatureas, quasi subditos nostros mouere nos , & ad omnes obsequii partes eas adducere queamus; tum denique ex animi passionibus, quibus nos cum gaudio perfusos sentimus , si omnia in tam amplissimo regno bene se habere videamus ; quae certe omnia nullius omnino essent vsus, nisi ad reliquias respectum haberent creatureas ; & eum quidem eiusmodi, vnde pateat , usum earum hominibus esse liberum.

*§. III. Conditio hominis in statu primaevu, in respectu
ad alias creatureas qualis fuerit?*

Sine dubio itaque in primaevae integritatis statu homo potentissimo ditissimoque regi fuisset comparandus, tum quod dominium in tam innumerabiles exerceret creatureas, tum quod ipse inexhaustis abundasset diuinitiis. Sunt eruditorum quidam, qui, cum deferuntur ad hanc considerationem, homines statuant in eo statu, si multiplicato humano genere in eo permanifent, priuatum obtenturos dominium; quod & statim post feralem illum lapsum inter homines in usu fuisset; sunt vero & ex altera parte, qui communionem honorum ab initio creationis viguisse saltem decernunt; utriusque probabilia proferre sciunt & doctissima argumenta ; sed nos cum iam istam controversiam nostram facere minime velimus, quippe quae & extra nostrum institutum esse videtur ; argumentis ipsis allegandis, & adnectenda circa eadem nostra sententia supersedemus.

§. IV. In communione rerum summa est felicitas.

Id vero adserendum nobis videtur ; illum statu, vbi bonorum vigat communio , esse omnium felicissimum ; quod non solum ex eo sufficienter probari opinamur, quod in primitiu-

ecclesia, vbi vehementissimus sincerissimusque fidelium animos incenderat amor; quo impellente, qui ditiores erant, & aliquid in bonis habebant, id cum pecunia commutabant, pecunia in commune aerarium illata, vt in communes vsus distribui posset: sed & aliae praegnantes rationes id euincunt. Quis neget, vbi homines se amant vehementissime, summo ipsis florere felicitate? Atqui vero amor eius est indoles, vt inter quos reciprocatur, eosdem ad communionem perducat, non animorum saltem, sed & quae in rebus externis possident; sed maior communio non potest intelligi istis in rebus, quam si nemo sibi ad illa velit arrogare ius peculiare, & illis veluti in medio positis vti sinat, quos quam maxime diligit.

*§. V. Rem patere ex consideratione misericarum,
vbi est dominium priuatum.*

Consideremus praeterea, quam ingentia & horrenda ex priuato dominio resultent mala; quae certe maximis calamitatibus omnem inuoluunt mundum, innumerabilesque apta sunt gignere miseras. Sibi nimur vbi quisque opes suas possidet, pestifera hominum emergit auaritia, quae optimo iure omnium malorum radix adpellatur; quis enim ignorat quo es, quae ex insatiabili habendi cupidine insanæ non orientur pestes? illa vero parit iniustitiam, praebet ad rapinas ansam; hinc existunt furtæ & iustitiae venditiones, illa denique est, quae sacrilegia committere & latrocinia docet. Porro vbi dominium priuatum obtinet, inuidia unus flagrat erga aliut, quem in lauтори conditione prae se conspicit vivere; vnde nocentissimæ aemulationes gignuntur. Quid de aliis dicemus pestibus, quae dominium comitantur? ut sunt ignavia & torpor illorum, qui cum pecuniosi sunt, ad se non pertinere censem, corpus laboribus defatigare; aliorum contemptus, quibus fortuna sua bona inuidit; voluptatis

denique studium ardens, quae numinis praesentibus solet comparari.

§. VI. Quales miseriae exulant, vbi est communio.

Aliter contra omnia sese habent, vbi priuatas contingit possessiones exulare; vbi verba illa, *meum & tuum non exaudiuntur*, omniaque fidelissime conferuntur in publicum, sumtibus distributis inter homines ex aequo ac viuendi illis instrumentis & commoditatibus. Habet id eo statu quilibet, quo sustentet; vnde adparet omnem abesse pauperiem, quae tam saepè enormibus criminibus suppeditat occasio- nem; porro hic homines nullis conscientur curis, vel ut procurent sibi vitae necessitates, quibus vident sibi satis prospe-ctam; vel ut diuitias sibi comparent; quas hic possidere nefas est. Nemo inuenitur, qui nimio exahauriri se queratur tributo; nullus hic artibus locus, quae vanitatibus inseruiunt; atque hinc tempus superest affatim hominibus, quod animi dotibus impendant expoliendis, ac vt eis incumbant plurimum studiis, quae ad communem spectant utilitatem: poteritne ergo maior inter homines esse felicitas, beatiorque quam illa conditio? saltem eatenus, vt maxima miseriae pars ex humano genere exterminata sit.

§. VII. An illa communio sit reducenda?

Dolendum ergo est, felicissimum illum statum non adhuc hodie durare, vel inter eos saltem, qui a Saluatore nostro nomen christianorum trahunt. Licet enim suae potuerunt causæ fuisse illis, qui alio statu illum censuerunt esse permittandum; non videre tamen, quam malorum iliada iste secum inuixerit; aut si videre, non satis cauti extiterunt, vt de malis illis non simul admittendis humano generi prouiderent. Forsitan ergo ere erit, inquier, eum iterum introduci statum? Hic vero liquidissima testantur historiarum monumen-
to, quid factum sit aut quem eventum habuerit res, cum id ali-

aliqui seculo a superiori proximo tentarent audacissime. Orta enim est maxima exinde rerum confusio , multorumque hominum miserandus interitus ; cum alii in aliorum bona manus nefarie inferrent ; alii sua cum pernicie defenderent ; omnes in summas clades inciderent. Nequaquam ergo vtile ac conducibile vitae esset humanae, si de re ista viliae suscipiantur iam cogitationes, nisi prius accidat, hominum animos amoris perfectissimi vinculo coniungi ; at quis est nunc, qui, si pluribus valeat, quam alii, facultibus, libenter istis decebat? hoc imprimis tempore, ubi amor verus inter mortales est rerum rarissima ; & tamen si iste non adsit, plus calamitatum ex isto conatu invehernetur ; quam utilitatis in genus humandum inde deriuari posset.

§. VIII. Exproprietate rerum unum & aliud existere hominum discrimen.

Cum itaque inter mortales orta proprietas dominiumque introductum sit, non quidem simul & semel, sed successivè & prout usus postulare visus est humani generis, duo imprimis contingere necesse erat, ut oriretur primum & existeret discrimen inter divites homines & egenos ; deinde ut pelleniae paupertati ac opibus conquirendis inuenirentur varia vitae humanae genera. Illi enim, qui praecoccupauerant dominium , aut alia deinde ratione in multas opes inciderant, appellari sunt divites ; reliqui vero, quibus negabatur beata ista sors, aut qui bonis casu aliquo postea suis evoluerentur, pauperes erant. Pauperes vero praeter necessitates, quae tum in vita humana emerserant, ad vitam sustentandam de variis circumpisciebat artibus. Inde sunt iam praeter agricultas, qui innocentissimum vitæ genus seellantur, tot opifices, tot artifices & mercatores, ut alios praetereamus, omnes in id intenti, ut se vindicent a diro egestatis onere ; indociles, ut ait poeta, pauperiem pati.

§. IX. Homines alios aliorum indigere ope.

Ex illo iam modo memorato inter homines discriminē, quo opulentia alii sunt, fortis alii egenae, illud porro sequitur, quod unus alterius indigeat ope, ac alter alterius sit subleuandus auxilio : si enim diuites ac opulentii minime subuenire vellent iniqua calamitate oppressis, nullamque egenorum haberent curam, & vitae subsidia denegarent misericordiam, quam aliam, nisi miserrimam degerent isti vitam ? aut quam misere ipsis potius esset pereundum ?

§. X. Variis rebus homines opus habere, ut viuant, ut
commodē viuant, ut sapienter viuant.

Sic & experientia, ultra quam satis est, constat, minime hominem viuere posse, nisi fori secus quaepiam accedant adiumenta, queis nutritiatur, & quae contra ea, quae corporis ipsius compagem destructum eunt, munimenta praebeant. Ita nec commodē vitam exigere posset, nisi in usum istum comparata supellex variis adsit generis. Inde fit, DEO volente, quod homo alias creaturas adhibere, multas etiam, si aliter ipsis non prodeste possunt, destruere queat. Id quod non solum obtinet circa res vegetabiles, quae citra sensum corrumpuntur; sed & circa innoxia quaedā animalia, quae et si cum summo mori illatos videamus dolore, citra peccatum tamen ab homine vietus & amictus causa occiduntur ac consumuntur. Nec denique sapienter posit viuere homo, nisi peccus habeat doctrina honesti, aliisque egregiis scientiis excultum, quae certe nunc, cum simus a natura omnes quam maxime rudes, licet semina quaedam in natura lateant, studio indefesso sunt comparanda. Licet vero nec per conditionem hominum fieri nunc possit, nec communī bono esset commodum & utile, si quilibet incumberet litteris; tamen vniuersiusque est, ut minimum comprehendat tantum, quantum ei opus est, ad officia erga Deum, semet ipsum

ipsum & alios intelligenda; quia alias vel millies contra illa es-
set peccaturus.

§. XI. Illa, quibus homines ad hos usus opus habent,
constare nunc pretio.

Notandum porro est, omnes res , post introductum domi-
nium, & multas actiones constare pretio; diuisis enim inter ho-
mines rebus , cum nec omnes res eiusdem essent naturae, nec
eundem humanis necessitatibus praeberent usum , nec cuius
ista rerum inueniri posset abundantia , quam ad suos desidera-
ret usus, rerum inuicem inter homines recepta est permutatio.
Sed quia saepissime res disparis usus aut naturae erant transfe-
rendae, ne alteruter eiusmodi laederetur permutatione , cer-
tis rebus valor quidam est impositus, secundum quem aestima-
ri solent , commoda quidem ratione, vt ipsarum possessio ad
alios possit deuolui; ille vero rebus impositus valor pretii obti-
nuit nomen ; atque hoc pretio necesse erat venire & actiones
hominis, quae in alterius gratiam peraguntur; cum enim ho-
mo non postulare queat ab altero , vt in suas utilitates labori-
bus distineatur , rebus suis posthabitatis; fieri non aliter poterat,
quam vt ob certas actiones certum daretur agenti premium;
quae quidem a rerum moralium scriptoribus solent exponi
latius & solidius ; e quibus summa saltē delibare nobis licu-
it obiter.

§. XII. Quae pretio constant, ea a posseffore in laudabi-
les usus prudenter esse conuertenda.

Contingit ergo aliquibus, vt prae aliis opibus polleant ho-
minibus ; vel quod conspicua illae eis obuenient hereditate,
vel quod legitimis illas quaefuerint modis, vel denique, quod
dono eas acceperint , vel si quae sunt rationes aliae, quibus,
quae in bonis censentur, acquirimus. Ut vero plerumque sin-
gulari ille adficitur laude, qui multas opes facultatesque bona

in-

inuenit ratione; ita certe non minorem pro meretur laudem, qui recte suis vti scit bonis, eaque prudenter adm inistrat, vt paululum mutatis Poetae verbis hic quoque dici queat, non minorem esse virtutem, quaerere, vt, quae parta sunt, bona prudenter & in usum conuertantur; quam ea sibi comparare.

S. XIII. Prudentiam hanc respicere tum ipsum posse forem, tum alios.

Summa ergo hic opus est prudentia, quae vt in aliis rebus, momentum ad officia hominis recte praestanda habentibus, ita hic vel maxime adhiberi debet. Hac vero de re cum bonorum cogitat possessor, tum ad se ipsum, tum ad alios est quod respiciat; nam certa sunt praecepta, quae ipsi sunt & erga se & erga alios obseruanda. Cum enim hoc rerum statu sollicitam sui curam agere quisque teneatur; cumque nemo aliis magis proximus sit homini, quam sibi met ipse; liquido constat, ita unumquemque moderari debere facultatibus suis, vt primum ad se redeat praecipua utilitas, redunderque commodum, quod adferre hominibus possunt. Quam ob rem libenter patiuntur leges, vt quilibet sibi ante alios attendat ipsis, suasque promoveat utilitates; sed cum omnium parent, natura, & alios sui similes ad amorem commendauerit homini, vt ad illos quoque respiciat, & par i secum complectatur amore, par est.

*S. XIV. Vbiique ad finem attendendum esse, qui est
Et sua & aliorum felicitas.*

Vti ergo prudentia virtus est, quae actiones regit hominem, vt finem suum, quem merito sibi praefigere debent, contingent; ita & imprimis hic ille obseruandus & sedulo ponendus ante oculos est finis; vt vero iam iam a nobis annotatum est & ostensum, eatenus eiusmodi res pertinere ad hominem, vt cum felicem reddant beatumque; sic & illis, qui-

quibus hodie accidit affluere bonis, si prudenter illa debeant adhiberi, huc est collineandum, nempe ut iisdem eorumque auxilio tum possessoris, tum aliorum promoueatur felicitas.

§. XV. Quomodo homo suis opibus in proprios usus prudenter uti debeat? ubi primum de cura animi.

Primo autem hic homo de propria cogitet felicitate, laboret inquam, ut bonis suis sibi de beatissima vita prospiciat; illam vero hominis felicitatem iis rebus pariter absolui, quae eius conseruant aut perficiunt facultates, nemo inficias iuerit; facultates autem omnium nobilissimae sunt illae, quae suam habent in animo sedem; sed cum homo nisi blandimenta sibi det, belleque dicat, quam facillime per semet ipsum obseruet, miserum se esse, & naturam suam corruptissimam, intellectu suo & voluntate summis laborantibus & maximis imperfectionibus; ille certe bona sua in optimum conuertit usum, qui anxie curat & sollicite, ut animus a ruditate liberetur sua; hoc vero sit, si recte sese habent de rebus sententiae, quae ad ipsius respiciunt officium, ac si rite formatur iudicium & aestimatio circa res, quae appetitum stimulari solent; si denique motus animi ad normam sanae rationis reuocentur & temperentur, sic, ut animus ad praestantissimam adducatur, quantum quidem fieri potest, perfectionem; in quibus omnibus si probe fuerit versatus, pulchrum est, delectat & expedit, res, qua patet natura omnis intelligentiae humanae, habere cognitas. Ut ergo illi imprudenter sibi praesunt, quibus propria fortuna ingentes imperita est possessiones, si de ingenio excolendo formandoque plane solliciti non sunt; ita contra ii rectissime sibi consilunt, qui & voluntatem simul cum intellectu virtutis studio bonisque scientiis ornari faciunt & expoliri, ne per hunc mundum volvi potius, quam procedere videantur.

C

§. XVI.

§.XVI. *De cura corporis.*

Post animi culturam , nec nulla inuenimus, quae debemus corpori; quia enim fragile illud est, variisque imbecillitatibus obnoxium, prudenter ille agit, seque gerit, ita qui utitur suis facultatibus, ut per bono corpus sit loco, beneque se habeat; vnde & debit ac congruentibus sufficienter firmandum & conseruandum est alimento; vestiumque, quibus contra aeris defendatur iniurias , muniendum est integumentis; sanitati porro est propiciendam , quo etiam membrorum pertinet conseruatio & defensio ; ubi vero contingit, ut per morbos sublata sit sanitas, nullis sumtibus est parcendum, ut corpus restituatur & conualescat ; quid enim stultius esset , pecuniis parcere suis , & interim pati, ut morbi vehementia vigore corporis depascat, luesque mortifera per membra saeuat? haec autem corporis cura eo magis est necessaria, quia eiusdem ful turis, ut Plinius iunior alicubi loquitur, animus sustinetur, eo que male se habente animus quoque parum praeclarri efficere possit: hoc & pertinent corporis exercitia, quibus, si cum modo vitimur, corpus mirum in modum induratur, robustumque redditur & agile.

§.XVII. *De honestis voluptatibus.*

Voluptatum hic liceat facere mentionem, quae gratissima solent hominum animos demulcere suavitate; ubi tamen minime de illis , quae inhonestae sunt, & homini noxae, nobis sermo est ; istae enim verae valde aduersantur hominum felicitati, nec ideo prudenter ab illis quaeri possunt ; sed de illis saltet agendum est , quae cum nulli ex legibus aduersentur, animum seriis defatigatum curis iucundissime reficiunt, corporisque maxime conducunt habitui ; illa enim est omnium hominum conditio, ut suas semper intendere minime queant vires, nisi delibato vigore omni vim sibi ipsis inferre, ac sanitatem

tem suam prorsus euertere velint; testatur quippe experientia, interrupta serie neuti quam durari posse labores, nisi acceptissima interdum interdistinguuntur vicissitudine; prudenter ergo illi faciunt rectissimeque, qui animos nonnunquam curis laboribusque exhaustos refouent relaxantque; si modo contra sua ne irruant officia, sibique ipsis immoderato istarum suavitatum vsu damnum & animi & corporis attrahant: sed ut vitae iucunditates sectemur, opes in auxilium sunt aduocandae, quas certum est, hic multum praestare posse; quae enim sunt eiusmodi, ut vel palato sint grata, vel reliquos sensus aliqua amoenitate perfundant; aut etiam quae ad animum referantur, ea vero nummis facilissime plerumque comparantur.

§. XLIX. De arte ad honores & fortunas grassandi.

Isto in loco offertur nobis occasio, ut nonnihil de ista disseramus arte, qua quis vel ad honores grassari, aut ad maiores fortunas eniti potest, si nempe subdilio suarum opum recte viciat. Quae alias huic instituto inseruant artes, de iis alibi dicendum est; istud nouerunt rerum periti, pecuniam in loco adhibitam, homines exiguae fortis saepe ad summas prouexisse dignitates & opes. Liceat rem uno & altero casu illustriorem facere; verbi causa, ubi munera publica venum prostant, & ob numeratam pecuniam illis iniunguntur a quibus obiri debent, si modo sint eiusmodi, ut de iisdem statuere supremae potestati fas sit, [quae enim sacra vocantur, nec pretio subiacent, nec bona conscientia vel vendi vel emi a quoquam possunt;] ibi eum non imprudenter agere credimus, qui cum muneri eiusmodi obeundo parem se esse sentit, suas in hanc rem impedit pecunias; cum alias minime defuturi sint alii, fortasse ad res agendas inepti, & proinde reipublicae inutiles; qui nullis in eam rem obtinendam parsuri sint sumtibus. Huc similiter & illud pertinet, quod qui mercatura quaestum fac-

C₂

unt,

unt, vel alias per commercia vitā sustentant suā, saepe iisdem ita se offerente occasione suas in periculū mittere opes expeditat, vt maiores adquirant, locupletioresque existant. Hi enim, qui timidiōres sunt, quod ex avaritia plerumque existere solet, non idonei sunt, vt rem magnam faciant. Cumprimitis vero illud obseruandum est, in vita humana inque congressu hominum singulares emergere casus, vbi pecunia paulo negligentius habita viam monstrat ad honores amplissimos; vti contra, si aliquis sordidior fuerit, veluti homo ruidis, & qui viuendi rationem non teneat, contemtui & opprobrio ab omnibus exponatur. Nempe cum avaritiae vitium & in se sit, vti supra diximus, pessimum turpissimumque, & hominibus aliis quam maxime inuisum; eo quod avarus divitiis incumbens repertis, de nemine bene mereri studeat; si illustri occasione aliquis abesse a se avaritiam monstrat, facile conciliat sibi hominis elegantis pariter & liberalis, ac vnde multa in alios utilitas redundare posset, apud alios opinionem; vt sunt huius generis homines apud omnes gratissimi acceptissimi; nullus vero inuisior & omnium opinione ineptior, quam tenax aliquis Euclio, qui sueas videatur facultates trahalibus adfixisse clavis, aut Draconi alicui, vti eiusmodi aliquid in fabulis narratur, custodendas illas commississe. Non desunt in utramque partem exempla, quae allegari possent, si per spacium prolixioribus nobis esse liceret; patet tamen exinde, pecuniam in loco neglegere, vt ille ait, summam esse aliquando prudentiam.

*S.XIX. Quomodo homo suis opibus vti debeat in
vsus aliorum?*

Diximus, quae ad primam pensi nostri partem euolendum requiri nobis videbantur, & quae pro instituti ratione satis esse possunt; ostendimus enim, quomodo vir sapiens prudenter in suam rem suis vti queat bonis; restat nunc, vt

cir-

circa alteram partem, qua promisimus, ostensuros nos esse, qui in aliorum usus dispensare facultates nostras debeamus, paritate solliciti simus. Vbi ante omnia animaduertimus, illos quidem, qui hodie iure suas possident opes, a nemine per vim adigi posse, ut alios, qui nullum sibi ius in illas quaesuerunt, iisdem faciant locupletiores; sed non minus constat, non omnibus illos exsolutos esse obligatione, ut multis id in casibus facere non teneantur. Non dicamus nunc de casu necessitatis; in quo nonnulli rem propriam, citra quam alter homo periturus sit, in communionem redire primaeuam & ius perfectum existere statuunt, ut vel vi cogi aliquis ad euentum suis opibus subleuandum queat; nunquam dominium rerum ab hominibus tam arctis limitibus fuit definitum, ut non imperfecta saltem remanere debuerit obligatio, qua unusquisque teneatur promouere alterius beatitudinem suis facultatibus; sed quidagendum hic sit prudentiae, restat ut curatius exponamus.

§. XX. De liberalitate in egenos & pauperes.

Id enim certum est, minime ab homine rerum suarum satagente postulari posse, ut opes suas temere in alios profundat; eo enim modo proiciemus magis quam dabimus beneficia nostra; continget & saepe, ut simus in nos iniurii, nec tamen vere aliis proximus: necesse itaque est, ut vir quilibet bonus de colendo suo officio sit quidem sollicitus; sed & pari solertia prudentiae habeat rationem. Id ergo sui esse officii, hocque ad se pertinere, existimet, ut eorum, quos videt sua ope esse indigos, aduersam lugeat fortunam, eamque ope & opera vel arcet vel subleuet sua; vnde liberalitas existit & officiositas, virtutes profecto, quae & decent imprimis homines, & laudem eisdem comparant maximam; sed praeterea obseruet, videntem esse, ut quae confert in alios beneficiorum genera, rite temperentur, ne sibi & aliis attrahat incommodum, & profusa hac virtutis laudem perdat liberalitate. C) §. XXI.

§. XXI. *Quinam sint pauperes, in quos eleemosynae possint conferri?*

Vt igitur vir bonus hac in re caute procedat, considerandum ei est vel maxime, quinam sint illi, in quos aliquid ergandum est? hos pauperes vulgo & egenos vocare solemus. Sed hic euolutius nobis est dicendum, quinam sint, quibus ista competit nomenclatura. Evidem mos est, vocitari plerumque pauperes illos, qui rebus exuti omnibus nihil vel parum possident, quo vitam sustentent, ac proinde necesse habent, vt ab aliis stipendia querant, se vitamque conseruaturi suam; sed arctius constringi haec acceptio mihi saltet videtur, quam, vt omnes quibus illud nomen competit, complestatur; nec enim illi tantum, qui eleemosynas nos poscunt, nostra ope indigent; sed & illi omnes, qui circa opem nostram vitam exigere neutiquam possent; at qui in hoc sensu sumuntur sane omnes, quibus procul dubio pereundum esset, nisi labore in rem nostram insumento, vitae suae acquirerent subsidia, quales sunt opifices, artifices, mercatores, & alii huius generis plures, qui vel opera sese sustentant manuaria, aut ingenio suo aetatem exercent. Porro & haec obseruatio non est praetermittenda, quod illorum, qui stipe viuunt, sint aliqui, qui ne tantum quidem sibi parare valeant, quantum vel ratio viuendi tenuissima postulat, siue quod membra, sine quibus labor nullus potest peragi, vel habeant planenulla vel debilitata; vel quod mente siat capti, vel quod casu miserabili in summas redacti fuerint angustias; vel deniq; quod ob alias rationes, quas enumerare longum esset, rerum omnium sint inopes: alii vero sunt, quibus nihil quidem corrum deest, quae ad victum suum querendum sint necessaria; qui tamen pigri sunt & socordes, ac ad nullum se vitae genus applicare ob fugam laboris cupiunt, existimantes, minori sibi constare panem molestia, quem ostiatis ab aliis emendicauerint.

§. XXII.

**§. XXII. De sumtibus in variis generis homines
erogandis, ut possint viuere,**

Iam ergo videamus, quid hic prudentiae exigant decreta; circumstantiarum ista habere rationem iubent ac praeципiunt. Habeat ergo unusquisque vir prudens tum rationem sui, ut pro iusto modo rectaque mensura suas eroget facultates; cum alias certe seipsum suis exauriret impensis, non parum in se immittis; nisi sublimior quidam caritatis gradus, de quo alterius loci est dicere, fieri velit maiorem & cum sua incommoditate coniunctam impensam. Habeat & vir prudens eorum rationem, in quos suas dispensat opes; sed istos non unius esse generis constat; differre enim possunt inter se tum ratione virtutis; ubi illis merito, qui honestatis sunt studiosi, praeterea aliis benigne beneque est faciendum, tum meritorum ratione, ubi in illos maiora collocanda sunt beneficia, qui in nos ipsos, aliosne imprimis sunt meritis conspicui, aut qui in posterum prodesse, nostraque beneficia meritis suis compensare queunt; tum denique ratio habenda est effectus, quem trahere post se possit nostra beneficendi promptitudo; ita ergo aliis de nostris subueniendum fuerit opibus, ne obsit nostra benignitas & iis ipsis, quibus benigne fieri videtur; & nobis, qui de aliis bene mereri connitimus; cuiusmodi casus plura suppetunt, quos tamen hic prolixius recensere, nihil attinet.

**§. XXIII. Non peccare diuitem, qui multos sumtus
facit.**

Ex illis, quae paulo ante exposuimus, colligi quaedam possunt, quae recte sese non habere vulgo putantur; si enim illici, qui nostrae indigent opis, nostris opibus subuenire debemus; & indigi sunt non solum sortis egenae, qui emendant stipem; sed & illi omnes, qui suco nostro veluti vitam ducent,

cunt, consequitur certe, qui in re lauta & bene aucta parte sunt, eos multas etiam facere debere impensas; nec enim tum eos officio suo iam satisfecisse putandum est, si pauperibus saltem & egenis suas distribuerint facultates, fameque luctantibus tot opificibus, artificibus & huius generis hominibus aliis nequaquam suppeditas ferant. Tantum ergo abest, ut peccet ille, & suos perdere sumtus dicendus sit, qui in opera magna & res alias maioris pretii agit impensas, ut potius virtutem exercere verissime sit aestimandus. Res abunde patebit, si cogitate consideremus, qualis inde futura sit facies, si homines diuitiis valentes in mendicos saltem bona sua dispensare, sibimet ipsis interim tam suauiter & aliorum incuriosi viuere velint, ut iporum bonorum paucissima auferrent opifices & alii, qui aliorum ope sustententur necesse est, quid continget tam aliud, nisi ut illi ad tenuissimam difficultatem redigerentur sorte, mendicis contra bene esset, multo immo melius, quam eis, qui summo cum labore vivitum queritant suum. Domos ergo extrahat diues, plantet ille vineas & hortos, comparet sibi splendidam supellecitem, vestiat se laute, nec deneget corpori suo & palato quae grata sunt & iucunda; in eo adeo non peccat, ut si ista non faciat, peccare videatur. Viuat Princeps ut moris est, Principem vivere, & ut praeterea aliis mortalium censu & redditibus abundant, pro mensura reddituum magnis quamvis sumtibus ne parcat: viuat nobilitate florens, ut fert, huius ordinis dignitas, & ad modum conditionis eius erogationes ab illo fiant pecuniarum. Ita & similiter in aliis vitae generibus unusquisque, quantum habet in reditu, in tantum etiam poterit, sibi esse sumtus faciendo; quod si fieret, credibile est, hominum meliorem fore conditionem.

§. XXIV. Quaenam in hoc usu sit adhibenda cautio?

Atqui vero inquires, ista inter vitia potius sunt numeranda;

hac

haec certe luxuriae essent & ambitio. His, quibus ista nobis obiicere placeret, ea saltem reponimus. Nunc corruptos nos esse, subiectosque hoc rerum statu sub vanitates multas ; nec virum prudentem & sapientem viuere sine illis posse : multa ergo peragit, multa sunt ipsi facienda, quae, si in statu adhuc degeremus primum a Deo instituto, non faceremus certe, ut quae nec essent facienda ; iam vero, quae rerum inuersa est facies, rebus eiusmodi supersedere non est semper integrum. Interim absque peccato ista haberi & fieri posse persuasum nobis est. Quanquam sublimioris virtutis sit species, rebus istis se sponte abdicare, ut animus eo liberius coelestibus curis vacare possit. Sed, ut ad propositum redeamus, quae vitium & virtutem faciunt, imprimis latent in animo, id quod praesertim manifestum iis in rebus est, circa quae peccare & non peccare possumus. Qui ergo peccare in hoc negotio non velit, sibi attendat studio, ne sumptus faciat, ut nomen sibi inde comparet, & famam conciliet ingentem, nec vt alios emineat ; aut vt voluptati dishonestae pariter & noxiae licet ; aut, si qui fines sunt alii, quos abesse a studio virtutis conuenit ; sed vnicce eam ob causam, quoniam ad officii sui rationem hoc pertinere existimat, & vt sua ope prospiciat illis, qui sine eadem non possent in vita & conditione praesenti conseruari.

§. XXV. Quo constet indicio, horum in usu bonorum suorum recte agere.

Cum vero homo saepe, ut animus humatus infinitas habet latebras, se ipsum decipiat, quo constat signo, se ipsum hic illum non fallere ? hic ergo videat ante omnia vir sapiens, quidnam sequendum hac in re sibi praefixerit; vnicene, vt aliis pro suis viribus inseruiat, an suae vt satisfaciat cupiditat? ne autem ne sciat aliquis, qua impellatur ratione, hoc habeat pro signo re-

D

ctis-

26 DE BONIS ET FACULTATIBVS PRUDENTER ADMINISTR.
Etissime suam agendi rationem sese habere, si velit ex obligati-
one saltem sua impendere sumptus, quos facit ; si deinde non
plus faciat sumptum, quam habet in bonis ; si porro bonis casu
priuatus suis, tamen viuat sua sorte contentus ; quamuis non
amplius tam splendide viuere possit ; si denique nec desideri-
um habeat, multas sibi comparandi, procurandique diuitias; at-
que, ut breves simus, si certissimus sit, se opes suas, vt sapientis-
simis diuini Apostoli verbis commodissime hoc loco vtamur,
ita possidere, quasi non possideat, si emat, quasi non habeat, & ita ut-
tatur mundo hoc, quasi non abutatur ; in quo diuino sancti vi-
ri oraculo vt summa sapientia latet, ita summam totius Disser-
tationis nostrae contineri confitemur. Vti & huc collineant
verba Hieropsaltae : opes quando proueniunt, ne adpendite cor.

§.XXVI. Virum bonum & prudentem abundare
posse & egere, multum erogare & pauca.

Iste ergo demum, vt finem aliquando scribendi faciamus, vir
bonus & prudens merito est habendus, qui acquiescit praesen-
tibus, & tum in re lauta esse didicit, tum & in angusta viuere
potest ; si iis, quas homines in bonis reputant, abundet facultatibus,
aliros quoque quantum fieri potest, felices reddere stude-
at ; & hoc sui putet esse muneris, si contra vero felicior fors de-
negauerit ipsi beneficiandi materiem, non minus tranquillo
& pacato sit animo, contentus, se non obligari vt ista in ali-
os distribuat, quibus ipse instructum se non esse
cognoscit.

SOLI DEO GLORIA.

GENERALIS
CHRISTIANO LEBRECHT A PRÖCK,
AUDITORI HVC VSQVE SVO SOLERTISSIMO,
PROSPERRIMOS SVCESSVS ADPРЕCATVR
PRAESES
IO. GEORGIVS PRITIVS.
*

Dilectissimum adparas tuum, AMICISSIME PRÖCKI, tum ex aula nostra, tot Tibi beneficiis cognita, tum ex Gymnasio nostro, cuius ex aliquo tempore ciuis extitisti florentissimus. Vt vero memoriam tui commendes utrique, relinquere placuit post Te studiorum tuorum primitias, velut monumentum omnium se offerens oculis, quo & gratissimum Te habere animum, & non Te nullas in optimis scientiis progresiones fecisse, luculentius significes. Ac fuerunt sane, cur ita Te gereres, causae Tibi multae, illaeque grauiissimae. Versatus es per octo, nisi fallor, integrlos annos in aula Seruestana, seruitio adductus Serenissimo CAROLO GVIELMO, Principi inter bonos Optimo. Quot & quanta per id tempus in Te summa Principis munificentia profecta beneficia, & Tu optime meministi, in cuius se altissime demiserunt animum; & libenter praedican soles; qua in regenerosam certe in apricum collocas indolem, quae uti cui veneratione a Summis mortalium accipit beneficia; ita memoriam illo rum fidelissime custodit semper, & ea meritissimis prosequitur laudibus neque vero existimauerim, Tibi ad hunc locum delato, uberrimam deess posse materiam; ut enim taceam reliqua, Tibi notissima, quanti est quae-
so, quod, cum fere de studiis amplectendis abieceris animum, de gladio, aut, nescio, quibus aliis, ad perdendos homines, comparatis instrumentis cogitans; veluti benignissimum fidus Principis Tibi illuxerit gratia, quae spem tuam, de carissimis studiis tractandis, pene intermortuam resocillaret, animoisque Tibi adderet, ut munificentia CAROLI GVIELMI porro erectius feruentius Te ad optimas litteras referres. Et Tu quidem tanto ardore ad musas, quibus iam valedixeras rediisti, vt, si hac via pergas, praeclarissima quaeque de tua eruditione spe mihi praecipiam. Vt er-

ADLOCVTIO PRAESIDIS.

go al alterum perueniam, nunquam putauerim. Te esse subiturum poenitentiam, quod in Gymnasio Anhaltino studiorum tuorum iudimenta, me imprimis praeciente, posueris; ut enim de tuo in optimas disciplinas flagranti studio testari possum optime; ita certum Te esse iubeo, quod & nunc, & in posterum insunti Tibi laboris rectissime constitura sit ratio. Octo fere effluxerant anni, ex quo libros ne quidem inspexeras, cum ante biennium, & quod excedit, intermissas artes repeteres, eo cum feroore, eoque cum successu, ut plerasque scientias, me duce, delibaueris, & ut nequaquam nunc verear, Te in campum ante oculos hominum adducere, quo ipse, quam sollicite rerum tuarum sageris, reddas manifestum. De argumento dissertationis tuae, quod se per seipsum commendat, nihil dicam amplius, nisi quod hodiernis moribus mihi videatur conuenientissimum, quo sub virtutum persona vicia saepe occultantur turpissima; quae de re haud ignoras, a me saepe in scholis meis vobis datos esse saluberrimos monitus. An vero pro dignitate rei habueris materiam, velim, ut potius lectores iudicent, quam ut mea stetur vocis arbitrio. Nec tamen operam Te perdidisse reor, utunque lectores tam humanos Tibi offerri optem, ut dissertationem tuam legant, censu specimen quale a studioso iuuene, qui inferiore discendi constitutus est, & altiora nec tum contigit, proficiere potest. Quod autem adiungere possum, in voto consitit, ut DEus, quem scis, ut saepe docuerim, quem reverenter colendus sit, sua benedictione Te studiaque tua, Lipsiae, in desideratissima patria mea, continuanda complectatur, honestisque tuis conatibus auspiciatissimos semper largiatur successus. Id modo, pro amore in Te meo, Te etiam atque etiam moneo, ut in virtutis itinere, quod, me monstrante, ingressus es semel, strenue pergas; sic enim fiet, ut, cum a natura oris commendatione floreas, si hoc decus & honestatis & literarum Tibi simul conciliaueris, Principis tui gratiosae satisfacias voluntati, & ad honores fortunasque, quo tuum Te genus ducere potest, felicissime eritarris. Abi PRÖCKI, & PRITIANAE informationis ubique sis memor! Seruetae pridie Id. Apr. A. O. R. c. l. I. ccl.





Ab: 155 159



sb.

VII





10.

Q. F. F. S.

DISSERTATIONEM

POLITICO-MORALEM,
DE BONIS ET FA-
CVLTATIBVS PRVDEN-
TER ADMINISTRANDIS,

PRAESIDE

VIRO MAXIME REVERENDO

IO. GEORGIO PRITIO,
 SS. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE
 PVBLICO,

PRAECEPTORE SVO SVSPICIENDO;

DIE XV. MENSIS APRILIS

ANNO REPARATAE SALVTIS C¹⁰ CI C¹⁰ C¹⁰ I.IN ILLVSTRI ANHALTINO, QVOD EST IN
 VRBE SERVESTA,

PVBLICO ERVITORVM EXAMINI SVBMITTIT

H. L. Q. C.

AVCTOR

CHRISTIANVS LEBRECHTVS A PRÖCK.
 EQVES MAGDEBURGICVS.

SERVESTAE, TYPIS BEZELIANIS.